



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi  
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus  
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris  
succinctim complectens**

**Klinge, Konrad**

**Coloniae, 1570**

**VD16 K 1309**

De vltimo iudicio Dei. tit. 250.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29452**

propter quod & martyrium est maximi meriti & perfectionis, & hoc perficitur præceptis, Ioan. 1.1. Ioan. 3. Christus pro nobis posuit animam suam, & nos pro fratribus nostris, &c.

Sextò : Hæc tria tempore pestilentia sunt facienda. Primò, nos per confessionem purgemus, & reconciliemus cum Deo per conuersionem interiorem, Mar. 1. Pœnitementi, & cæ. Secundò, vt offeramus nos Deo obedienter, vel ad viuendum vel moriendum, Mac. 16. Fiat voluntas tua. Tertio, cū timore Domini præseruatiua remedia quæramus, & hoc propter Dei ordinationem de medicina, Eccle. 38. Sic Esai. 38. Et iussit Esaias, vt tollerēt massam de ficis, & cataplasma rent super vulnus eius, & sanaretur, 4. Reg. 20. Afferte massam ficorum &c.

### DE VLTIMO IUDICIO DEI. TITVLVS CCL.

**Q**uestio. Postolus Hebr. 9. dicit, statutum est homini semel mori, post hoc autem, iudicium, scilicet extremum fiet, in quo iustus Iudex Christus præsidebit, 2. Timo. vlt. Et cuiq; dabit iuxta opera sua, Mat. 16. & 1. Petr. 1. Et dicitur iustus iudex, quoniam solus ipse secundum veritatem iudicat veram, id est, verus sine omni dolo iudex : Ille solus est, qui falli non potest, & quem nullus effugiet. Hoc iudicium dicitur vltimum, quia finis omnium iudiciorū & complementum. Nam quicquid in alijs neglectū est iudicij particularibus ab initio mundi, in hoc iuste discutietur. Sic Christus constitutus est iudex viuorum & mortuorum, Acto. 10. Et de hoc iudicio tota scriptura loquitur. Ad hoc iudicium appellat omnium piorum conscientia, qui iam sunt in pressura mundi, de quo dicitur Sapien. 5. Stabūt iusti in magna cōstantia &c. Secundò,

Secundò, in hoc iudicio accusabimur primò de inobedientia legis diuinæ, & transgressione atq; peccato. Nam lex ideo data est, vt viueremus secundum illam: præscribit enim lex, quales esse deberemus. Deuteron. 6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde &cæt. At quoniam nullus talis est inuentus, ideo lex damnat & maledicit, iuxta illud: Qui malè fecerunt, ibunt in ignem æternum, Matth. 25. Ioan. 5. Sic omnes intrabunt damnationem, nisi quos fides in Christum liberat. At fides nunc respicit in Christum, & credit illum hostiã pro peccatis totius mundi, 1. Ioan. 2. Et cupit nunc adiutorium, & quoniam iudex, id est, Christus, nedùm iudex est, sed etiam saluator & redemptor, Et vtranque potestatem habet iudicis & saluatoris, sicut pater dedit illi potestatem supra omnem carnem, Ioan. 17. Omnes fideles habent spem clementiæ iudicis, eò quòd dicit Ioan. 10. Pater oues quas dedit mihi in manus, nemo eripiet, &cæt. Erit ergo clementissimus iudex fidelibus, sed impijs terribilis, id est, infidelibus. Si ergo Deus iudex pro nobis, quis contra nos? neque peccatum, mors, sathan, separabit nos à charitate Christi, Romanor. octauo. Iudex enim, frater noster est: Deus, pater est: Spiritus sanctus, amator. Si ergo Deus est pater noster, si iudex Christus est frater, si Spiritus sanctus est amator, quis est, qui nocere poterit? Ideo in Christo, & cum illò stabimus securi in iudicio. Ioan. 16. Confidite, quoniam ego vici mundum, &cæt. Est enim Iudex pater, frater, amator, & nouit qui sunt eius. 2. Timot. 2.

Tertiò, Quæ tunc erit forma iudicij extremi, clarè per omnia describit Matt. 25. Cùm venerit, inquit Christus, id est, filius hominis in maiestate sua, id est, diuinitate: Secundò, Venient cum eo omnes angeli eius. Tertiò, sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes Gentes, & separa-

bit nos ab inuicem, sicut pastor oues ab hædis. Quarta, dicit ad eos, qui à dextris erunt, Venite benedicti. Quinto, tunc ibunt ij in supplicium æternum, &c. Ergo cogitemus de fide & charitate. Nam non sufficit nuda fides, Matth. 7. Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, &c.

● *INFERNVS QVID EST*  
TITVLVS CCLI.

**P**RIMO, Infernus est locus, in quo infideles & contemptores Christi punientur æternaliter, in quo erunt hæc pœnæ damnatorum: Primo, Tenebræ exteriores, Matthæi 8. Filij regni eijcientur in tenebras exteriores. Ecce prima pœna damnatorum erunt æternæ tenebræ: & hoc ideo, quia Christus est lux mundi, Ioann. 8. & hanc contempserunt per incredulitatem mali, nolebant hic illuminari fide Christi, qui illuminat tamen omnem hominem venturum in hunc mundum, Ioan. 1. Ob hoc sicut hic passim sunt tenebras interiores, ita nunc æternaliter exteriores tenebras. At inquires: Quomodo erunt hic tenebræ cum sit ibi ignis qui natura sua est lucidus, Matth. 25. Ite in ignem æternum? Respondeo. Lyra ait: Iste ignis erit fumosus & obscurus, nè aliquam consolationem afferat damnatis, id que ex ordinatione diuina.

Secunda pœna erit fletus, id est, tristitia animi perpetua: nam nunquam in æternum illis accedet aliqua animi consolatio, vel lætitia. Vnde Esaiæ, 66. & Marc. 9. Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Sed inquires: Quomodo plorant damnati, cum ibi non sit lachrymarum effusio. Illa enim ex parte cerebri fit & corporis, quod dæmones non habent. Respondeo. Fletus primo ex tristitia animi procedit, & sic dicitur esse fletus in dæmonibus & damnatis, sed non quoad resolutionem lacrymarum, que ex cerebri